

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

Cap. XVI. Aspirationes ex Nominibus Dei, ejusque attributis, &  
perfectionibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

guttas pretiosissimi vini charitatis vestræ, quia aruit sicut testa virtus mea, & defecit præ siti anima mea.

6. Subvenite mihi misero peccatori sedenti in tenebris, & umbrâ mortis, & solvite vincula captivitatis meæ.

7. Liberate me à tumultuantium affectio-  
num turbâ, ut sedeam solitarius, & taceam,  
& audiam vocem Domini loquentis in silentio  
ad cor meum.

8. Elevate me ab hâc sordidâ terrâ, ut mihi mundus crucifixus sit, & ego mundo.

9. Ad me respicite, gens illustrissima, &  
hæreditas summi Dei, adhuc peregrinantem  
in hoc exilio, & mittite de Cœlo opem &  
consolationem.

10. Circumdate me gaudentem, & exultan-  
tem de vestra beatitudine, & gratiam impetrare  
virtutes vestras imitandi, ut vestris adjutus  
suffragiis particeps fiam vestri gaudii & co-  
ronæ.

Hæc in exemplum. Plura suggerent usus &  
affectus. Sunt autem quatuor capita, ac veluti  
fontes uberrimi, è quibus aspirationes ad omnes  
& singulos æterni regni proceres peti possunt.  
Primo quidem ex titulis honoris, dignitatis,  
perfectionis, & diversarum virtutum, quæ in  
illis eluent. Secundo ex perceptis beneficiis,  
pro illis gratias agendo. Tertio, invocando  
illos, ut propitientur peccatis nostris, eorumque  
remissionem nobis obtineant. Quartò, multipli-  
cem miseriam nostram, & innumerabiles  
necessitates proponendo, ut à malis omnibus  
erui, cunctisque bonis imbui, ipsorum meritis &  
precibus mereamur.

## C A P U T X V I .

### *Aspirations ex nominibus Dei, ejusque attributis, & perfectionibus.*

Qui magna mentis adeptâ puritate ad unionem cum Deo aspirare jam digni sunt, preter affectus, quos pro perfectis suprà descripsimus, alios elicere possunt ex divinorum attributorum contemplatione. Ad hos enim pertinent Dei verba per os Prophetæ dicentis. *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus.* Vacate, inquit, ab inutilibus cogitationibus, ab affectibus, & desideriis terrenis; & videte oculo

fidei ac contemplationis, quoniam ego sum Deus omnipotens, immensus, infinitus. Rechè Sapient: Nôste Deum consummata justitia est, & scire virtutem ejus, radix est immortalitatis. Si tamen ad cognitionem accedat amor; parum enim prodebet nuda Dei speculatio, nisi simul voluntas ad eum affligeret piis affectibus, & motibus anagogicis. Id qualiter fieri debeat, sequentibus aspirationibus breviter indicabo, ut, qui Theologicâ Dei notitiâ imbuti sunt, dicant cum Apostolo: *Conversatio nostra in Cœlis est.*

## D E C A S I.

1. **A**peri, Domine, oculos animæ meæ; ut non contenti aspectu rerum temporaliū, quas percipiunt sensus; ascendant ad æternæ contemplanda, quæ non videntur, teque aspiciant Deum invisibilem, qui es in omnibus, & super omnia.

2. Deus immensæ majestatis, verè mirabilis facta est scientia tua ex me; omnia tamē ossa mea, omnia membra, sensus, & potentiae dicunt, quia tu es Deus, & non alius similis tibi. Tu es meum esse, & mea vita, & gaudeo, quia te plusquam me diligere debeo.

3. O si omnia membra mea, omnes sensus, & fibræ verterentur in linguis, ut hoc prædicarent toti mundo, quia tu solus es, qui es, ac propterea omnes gentes te laudarent, & glorificarent! O si te omnes agnoscerent, & diligenter plusquam vitam suam, quia in te omnes vivunt, moventur, & sunt.

4. O pelagus omnis essentiae, & existentiae, tu es ipsummet esse omne esse continens omnia: à te omnia pendunt & effluunt, & in te refluent, & eaturent sunt, quatenus aliquid tui esse participant. Me igitur despiciam, & omnia quæ non sunt: te autem amo, & tibi adhærebo, qui solus es.

5. Deus perfectissime, & causa omnium entium, perfice gratiâ tuâ esse, quod mihi disti, ut perfectum sit, sicut & tuum perfectum est; quia ex me ipso nihil sum.

6. O substantia simplicissima, quæ omnia es, quam intimè te diligere, & super omnia aestimare debedo! Tu nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahis. Non partibus constas, ut corpus: non affectibus distas,

ut anima : non formis subitas , ut omne quod factum est . Fac me aemulari simplicitatem tuam , ut in omnibus simplex & purus sim , te solum quaerens & desiderans .

7. Tu solus impeccabilis es , tu solus habes immortalitatem . Per hanc te oro , ut moriar morte justorum , & a morte peccati semper eripiar .

8. Clarifica , Domine , mentem meam , ut cognoscam illud esse , quod tu habes per tuam essentiam ; & illud non esse , quod ego habeo ex me ipso ; ut supra duplum hanc cognitionem , tanquam supra duplum polum , moveatur rotavita mea , donec ad te perveniam .

9. Quam immensa & incomprehensibilis est perfectio tua , Domine , cui nihil deest , & quo omnia perfectionem accipiunt ? Sim & ego perfectus , sicut & tu perfectus es . Operare in me quod iussisti , & fac me ita perfectum , ut nihil mihi deest .

10. Deus meus & omnia , principium meum , & finis ultimus , tu es mihi omnia quae concupiscere possum : tu mea divitiae , meae delitiae , mei honores , & dignitates , ac thesauri infiniti : in te solo omnia habeo , omnia autem sine te nihil sunt mihi . Quando veniam ad te , ut in te omnia habeam ?

### DECAS II.

1. **I**llumina intellectum meum , perfectissime Deus , ut in creaturis omnibus te respiciam eorum creatorem , a quo illæ suam perfectionem accipiunt . Purifica affectum , ut in omnibus te amem , & queram , qui es bonum & finis omnium .

2. O dilecte cordis mei , si ita me oblectat pulchritudo , & perfectio creaturarum , cur non potius pulchritudo , & perfectio tua , a qua illæ procerferunt ? Diligam te præ omnibus qui omnium pulchritudinem & perfectionem excedis in infinitum , nec illas diligam , nisi in te , & propter te .

3. Tu solus , Domine , nullum terminum habes : omnes gentes quasi non sint , sic sunt coram te . Tuam igitur infinitatem adoro , & absque ulla termino te amare desidero .

4. Deus immense , qui excelsior Cœlo es , profundior inferno , longior terræ , latior mari ; qui omnia repleas , omnia contines , omnia penetras , clarifica internos oculos meos , ut certius te videam , quam si te viderem oculo exteriori & corporeo .

5. Rex superie , qui in toto tuo regno ita per essentiam , ut totus afflitas cuilibet parti ; concede mihi , ut totus coram te sim , tibique serviam ex toto corde , ex tota mente , ex tota virtute .

6. Domine Deus , qui in omni loco contemplaris bonos & malos ; acue fidem meam , ut cum solus sum , me solum non esse considerem , tisque praesentem attendens , nihil faciam tu præsentia indignum .

7. Deus meus , qui realiter intrâ me es , magis intimus mihi , quam sim ego mihi ipse ; perfice in me hanc conjunctionem , quam mecum habes , addens perfectissimam unionem gratiae , & charitatis tuae , ut unus tecum spiritus efficiar in æternum .

8. Deus immutabilis , apud quem non est transmutatio , nec vicissitudinis obumbratio , fac me immutabilitatem tibi adhaerere , ut , sicut tu ipse es , & annus tu non deficiens , ita ego a via rectitudinis nunquam deficiam , & in amore tuo semper idem perseverem .

9. Aeternus Deus , principio carens , & sine , fac me despicer temporalia , quae caduca sunt , & transitoria , & diligere aeterna , quae semper tecum perdurabunt .

10. Omnes dii gentium daemonia , tu autem , Domine , solus es Deus , & non est alius praeter te . Propugna causam tuam , & destrue multitudinem idolorum , ut omnes homines in te unum sint , tisque uno ore laudent , & glorificant . Da etiam mihi illud unum , quod solum est necessarium .

### DECAS III.

1. **D**EUS invisibilis , quando te videbo , non per speculum , & in enigmate , sed facie ad faciem ? O si te cognoscerem , sicut a te cognitus sum , ut , sicut tu me amas , ita te amarem : sed quia cognitio obscura & brevis est , te amabo quantum possim , donec te videam sicut desidero .

2. Incomprehensibilis & ineffabilis Deus , gadeo , quod ipsi supremi spiritus in tuo conspectu quasi coeci sint : vincis enim omnem scientiam illorum , nec ulla creatura te nominare , sicuti es , aut comprehendere potest . Utinam saltem vires omnes intendam , & applicem ad te diligendum , quandoquidem ad comprehendendum non sufficio .

3. Deus vivens & verus , prima & summa veritas ,

ritas, verax in sermonibus tuis, & fidelis in promissionibus: da mihi obsecro veritatem amare, in veritate ambulare, in te sperare & credere, & omnem hypocrisim ac duplicitatem detestari.

4. Sancte Sanctorum, Deus, exemplar & finis totius sanctitatis, fateor me nullam sanctitatem habere posse, nisi tu dederis, nec in ea persistere, nisi tu conservaveris. Funda me in hac profundâ humilitate, ut dignus sim ascendere ad altissimam sanctitatem.

5. O summa, suprema, & essentialis bonitas, Deus meus, quâm premit me, quod te derelicto fonte omnium bonorum, ad bona fucata & apparentia me converterim? Mirifica voluntatem meam, ut te unicum & summum bonum quæram & diligam.

6. Da mihi, o summa bonitas, summum amorem mihi possibilem, ut toto illo te summe amabilem amem. Deberem fanè infinito amore te prosequi, quia infinite bonus es, sed quia incapax infiniti amoris sum, opto saltē te amare summo conatu mihi possibili.

7. Totus mihi es amabilis, Dilecte mi, quia totum est bonum, quidquid est in te. Utinam sic tibi amabile esset, quidquid est in me. Ausus ab animâ meâ omne genus culpe & macula, ut tota sit pulchra in oculis tuis, & amabilis corde tuo.

8. Ne permittas, bonitas infinita, illum esse hominem, qui te non amet: aperi oculos odientium te; si enim vivâ fide te cognoscerent, nunquam odissent.

9. Mirabilis es, Domine, in te ipso, mirabilis in operibus tuis, mirabilis in sanctis tuis: Tu facis mirabilia magna solus. Te igitur intellectus meus rerum novarum & mirabilium indagator semper considereret, reliqua omnia tanquam vilia & communia rejetat.

10. Cor menm & caro mea exultaverunt in Deum vivum: licet enim horrendum sit, incidere in manus tuas, tamen es Deus vivens, & vita, ad misericordiam.

## DECAS IV.

1. Deus scientiarum, & totius sapientiae fons, qui omnia nôsti, & nihil est absconditum ab oculis tuis: ecce colloco me in infimo loco mei nihil, & mea omnimoda ignorantia; precorque humiliiter, ut tribias mi-

hi nôsc te ipsum, & voluntatem tuam, & hæc cognitio sufficit mihi, adjuvante me gratiâ tuâ, ut te cōgnitem diligam, & faciam quod à me requiris.

2. Domine discretor cogitationum & intentionum cordis, in cuius conspectu nulla est creatura invisibilis, utinam noscas me ex nomine, ut me cognitum & tue providentia subjectum sciens, omnem mei curam & solicitudinem ite projiciam.

3. O altitudo divitiarum sapientiae & scientiae Dei, quâm incomprehensibilia sunt judicia tua, & investigabiles vie tuae! Incerta & occulta hujus admirabilis sapientiae veneror, & adoro, ejusque justissimæ dispositioni me prorsus committo.

4. Emitte, Domine, sapientiam tuam à sede magnitudinis tuae, ut tecum sit, & tecum labore, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore: præcedat illa omnia opera mea, comitetur me in omnibus quæ fecero, & eo deducat, ubi clare te videam.

5. Rerum omnium summe Artifex Deus, qui omnia disposuisti in numero, pondere, & mensurâ, juxta exemplar in mente tuâ præexistens; fac me ita perfectum, ut ideam vera perfectionis in te existentem, quantum fieri potest, imiter, & exprimam in me ipso.

6. Lux beatissima Deus, & lumen cordium, qui lucem habitas inaccessibilem, & illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, emitte lucem tuam à montibus æternis, & splendoribus Sanctorum illumina cor meum, ut verbo & exemplo cunctis præluceam.

7. Deus, qui revelas abscondita, & vides in tenebris constituta, dà mihi abyssum judiciorum tuorum timere & venerari, tuâque voluntatem in præceptis & consiliis tuis revelatam semper agnoscere, & strenue perficere; cetera vero, quae ad me non pertinent, nequam perscrutari.

8. Ostende mihi, Deus, magnitudinem amoris tui, ut eo cognito vehementer admirer, & secundum parvitatem meam tanta dignationi vicem rependam.

9. Gratias tibi ago, Amantissime Deus, quia ab aeterno dilexisti me, & ex merâ gratiâ tuâ voluisti ut essem, & talis essem. Fateor impossibile esse, ut eo modo te diligam, quo tu me: possum enim bene tibi velle, sed non aliquid dare tibi, quo tu careas. Deo nihilominus tibi, quod ipse mihi largitus es, serviens tibi & pro-

& pro omnibus gratias agens: quod verò tibi dare nequeo, debeo proximis meis, amore tui.  
10. Quād admirabilis est amor tuus erga hominem, Deus meus, propter quem tot creaturas in suā naturā perfectas condidisti? O si tot haberem corda, quot illæ sunt, ut illis omnibus earum nomine te diligenter & glorificarem, reddens tibi debitum quod illæ nesciunt; & cujus ego illarum causā debitor sum.

## DECAS V.

1. A Mator semperne, qui nunquam cessas amare, & cum amore operari, nam si cessares, omnia desineret esse, concede mihi, ut nunquam cessem te amare, aut propter amorem tuum operari, si enim charitatem non habuero, nihil sum.

2. Diligam te toto corde, Deus meus, & omnem amorem meum in te uno collocabo, quia tu Pater meus es, tu frater, tu sponsus, tu amicus, & benefactor in æternum.

3. Dulcissime Deus, amabilis super omnia quæ cogitari possunt; magnum fuit beneficium, quod me ad imaginem & similitudinem tuam consideris, sed infinita charitas tua adhuc me voluit ad altiorem similitudinem elevare per gratiam & charitatem, ut non solum servus, sed amicus tuus essem. Utinam hæc amicitia ex parte mea perfecta sit, sicut ex tua est perfectissima.

4. Utinam semper te dilexissem, superoptime Deus, ex quo sum homo, quia tu me dixisti ex quo es Deus. Ne differas, anima mea, Deum diligere, ama Amorem ab æterno te amantem.

5. Quād immensa est charitas tua, æternæ Deus, qui solem tuum oriri facis super bonos & malos! Occlude, si fieri potest, janus inferni, ut nemo eo descendat, ubi omnes te oderunt: aperi portas Cœli, ut omnes eō descendant, ubi omnes te diligunt.

6. O altitudo bonitatis Dei, ô amor ineffabilis, quis ut perfectam cum homine angicitiam contraheres, illum ad Dei æqualitatem sublimasti! Quas tibi referam gratias pro tam eximio beneficio? laudet te ipsamet charitas tua, & benedic opera, quæ ab illâ proveniunt.

7. Exulto, Domine, cum lego in scripturis tuis, quia tu charitas es. Quid enim dulcius,

quid lætius audiri potest? Da igitur mihi te ipsum, da charitatem tuam. Diligam te, sicut vis diligi, & da quod jubes, ut implere possim quod desideras.

8. Deus fortis, & Zelotes, æmulator, qui ob nimium erga me amorem zelo zelaris, ne amorem tibi debitum alteri tribuam: accendatur velut ignis zelus tuus, nec me unquam permittas ab amore tuo declinare.

9. Amator ardentissime, cuius amor transit in zelum, comedat me zelus gloriae tuæ, & ad eam propagandam semper impellat.

10. Deus author pacis & amator, aufer à zelo meo omnem perturbationem, ut similis sit zelo tuo, pacificus, discretus, secundum scientiam. Tu es enim princeps pacis: & Ecclesiast tuam fundasti in pulchritudine pacis: omnia in pace & tranquillitate disponis, & factus est in pace locus tuus.

## DECAS VI.

1. M Iserator, misericors Domine, longanimes & multam misericors, cui proprium est misereri semper & parcere; mirifica super me misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele omnes iniquitates meas.

2. Præveniat me misericordia tua, Domine, subsequatur omnibus diebus vita mea, ut liber sim ab omni miseriâ animæ, & corporis. Veniant mihi miserationes tue, & vivam, & cantabo in æternum, quia tu es Deus vita mea, & misericordia mea.

3. Justus es, Domine, & rectum judicium tuum; justitia plena est dextera tua, Millies pro hac te laudo, precorque ut non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabatur in conspectu tuo omnis vivens.

4. Justissime Judex, qui scrutaris Hierusalem in lucernis, & judicas æquitatem, vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterni. Ulciscere hic in æternitate. Libera me nunc ab omni peccato, ut in judicio tuo ab ultione liber evadam.

5. Fortissime Deus, in quo omnia, & sine quo nihil possum, vide infirmitatem meam, & laborem meum, & robora me virtute tua, ut meipsum vincam, & omnia quæ virtuti adversantur.

6. Scio, Domine, quia tu es Deus clemens, & benignus, & infinitæ patientiæ, qui diligulas

mulas peccata hominum propter penitentiam : suscipe me itaque revertentem ad te , & praesta , ut patientia tua non abutar .

7. Vere tu , Domine , suavis & mitis es , & multae misericordiae omnibus invocantibus te : quare precor , ut corripias me in mansuetudine , & suavitate tua , non autem in furore tuo ; ne forte ad nihilum redigas me .

8. Magnus es Domine , & laubabilis nimis , terribilis super omnes Deos : benedicant te omnia opera tua , cælum & terra , & quidquid in eis continetur .

9. Quidquid eveniat mihi , Domine , semper laus tua erit in ore meo . Lingua autem deficiente , omnis respiratio mea sit laudis tue significatio . Corpore vero extincto , & in pulverem redacto , laudes tibi infinitas dicant minutissima quæque pulveris grana usque ad extrellum judicij diem .

10. Universa propter temetipsum operatus es , Domine , tu finis omnium rerum , & non est alius ultimus finis præter te . Vere fecisti nos ad te , & inquietum est cor nostrum , donec requiescat in te : Tu es civitas , ad quam tendimus : tu portus , ad quem navigamus ; tu magnes cordis nostri . Trahe nos igitur ad te ab hoc durissimo exilio , ab hoc mari proceloso .

## D E C A S VII.

1. Terribilis es Domine , & magnus vehementer , & mirabilis potentia tua ; fecisti enim omnia , quæ voluisti in cœlo & in terra , quia fubeat tibi cum volueris posse : imo plura infinites facere potes , quæ vel cogitatione ego affequi valeam . Robora impotentiam meam omnipotentia tua , quia sine te nihil facere possum , & tu omnia operaris in me .

2. Deus liberalissime , gratias ago tibi ob tota insignia opera tuae infinitæ liberalitatis : concede mihi liberalis in reddendo tibi , quod à te accipio .

3. Offero tibi cor meum , suscipe illud , Domine , quia melius & securius apud te erit , quam apud me .

4. O Deus omnipotens , qui totam terram molem appendis , nulli rei extra innixus , oro ut mihi nihil meum verè agnoscenti , tu solus mea sis firmitas , & in te secura sit virtus mea .

5. Benignissime Pater , cuius providentia

in sui dispositione non fallitur , dirige omnes actiones meas in finem à te destinatum , quia in manibus tuis sortes meæ , & iis me totaliter committo .

6. Amantissime creator , qui admiranda providentia singulis propiscis creaturis , & mihi ab æterno bona præparasti , quibus nunc fruor , fac me ita transire per bona temporalia , ut non amittam æterna .

7. Respxisti me , Deus , ante mundi constitutionem , & dilexisti me , antequam quidquam boni vel mali facerem , & ex merita tua bonitate elegisti me in Christo , ut essent sanctus & immaculatus . Et nunc , Domine , gratias ago pro tam insigni beneficio , precorque , ut des mihi per bona opera certam facere vocationem meam .

8. Manus tuae , Domine , fecerunt me , & placaverunt me : da mihi intellectum , ut discam mandata tua . Et sicut esse quod habeo dedisti mihi , ita etiam da perfectionem , qua carco , ut opus tuum sit omni ex parte perfectum .

9. O Sapientia Divina , quæ ex ore Altissimi prodixisti , primogenita ante omnem creaturam , quæ effecisti in cœlis , ut oriretur lumen indeficiens , largire mihi partem aliquam tuae lucis , quæ indeficiens in me permaneat .

10. Æterna Sapientia , cuius delitiae creare filios hominum , & esse cum illis ; quandoquidem me creasti conversationis tuae & boni infiniti capacem , ne vacuam esse permittas hanc in me capacitatem , sed age mecum familiariter , & imple me teipsâ , quia tu sola sufficis mihi .

## D E C A S VIII.

1. Pater misericordiarum , qui Electos tuos prædestinasti conformes fieri Imagini Filii tui , ita me illi conforma in sanctitate , ut , cum apparuerit , ei similis sim in gloria .

2. Benefactor immense , dator & conservator omnium bonorum , qui omnia quæ fecisti continuata quadam creatione conservas , & ad omnes actiones nostras semper concurris ; conserva me , quoniam in te speravi , & fac me semper operari , quod tibi placet , ut concursus tuus in meum commodum semper cedat , & ad majorem tui gloriam .

3. Rege me , Domine , & gubernra me : ne quoquo ego me ipsum regam , nec me gubernet mundus , aut caro : tu enim sollicitus es de me ,

V meique

meique curam sapientissimè geras, ac si ego solus essem in mundo, qui tamen omnium sum miserrimus.

4. Submitto me, Domine, providentiae & dispositioni tuae iu tempore & in æternitate: in te projicio omnem solicitudinem meam; quia non derelinquis diligentes te: & si quæfiero regnum Dei, & justitiam ejus; cætera omnia adjicientur mihi.

5. Gratias tibi ago, bonum infinitum, quia ex malis nostris bona deducis, & permittis nostram miseriam, ut magis emineat misericordia tua: Ostende quælo in me hujusmodi providentiam, ut omnia mihi cooperentur in bonum.

6. O suavissima Dei providentia, quid amplius facere potuisti! Sic nimurum dilexisti mundum, ut Filium tuum Unigenitum dares: Filium inquam tuum, ut servum redimeres, tradidisti. Applica nunc mihi tam copiosæ redēptionis fructus, ut per gratiam tuam redemptus, te fruar semper in gloriā.

7. Esto mihi, dulcissime Iesu, sapientia, justitia, sanctificatio, & redemptio, applicans mihi efficaciter pretium sanguinis tui, quem pro omnibus effudisti.

8. Tibi gratias ago, Amantissime Pater, quia me vocâsti vocatione tuâ sanctâ ad fidem tuam, & statim natum per Baptismum regenerasti, à te autem aequali miris modis ad te pertraxisti, & gratiâ tuâ justificasti. Nisi enim tua inspiratio me prævenisset immeratum, jam meritis pro sceleribus penitentiis afficerer.

9. Domine Dominus noster, quâm admirabile est nomen tuum in universâ terrâ! Mirabilis enim fuisti in creatione, mirabilis in redēptione, sed multo mirabilior in convivio, quod parâsti nobis in dulcedine tuâ, in quo anima nostra Redemptoris nostri carnem manducat, & sanguinem bibit. Utinam mihi liceat hac salutari mensa refecto dicere cum Apostolo: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.

10. Pastor supreme, salva me ex ore leonum, & luporum infernalium, quia parasti in conspectu meo hanc mensam cœlestem adversus eos, qui tribulant me.

#### D E C A S IX.

**O** Fons bonitatis, Deus animæ meæ, quis sum ego, & quæ domus mea,

ut me vocare dignatus sis ad hunc sublimem statum Religionis. Nam cum essem in seculo sicut unus ex multis, claudicans in duas partes, intonasti de celo, & dediti vocem tuam, vocem magnam & efficacem, quâ de mundi deserto eduxisti me, & in paradisum transculisti.

2. Gratias tibi, Magister supreme, ago, quod me in discipulum tuum elegeris in hâc scholâ perfectionis, multis alii relictis, qui me digniores erant. Da mihi sequi vestigia tua, & quod docuisti semper implere.

3. Adveniat regnum tuum, Rex sempiternæ, regnum æternum, quod preparasti diligentibus te: Ostende mihi bona, quæ promisisti, & ita me excita ad illa procuranda, ut ea tandem obtineam.

4. Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit, & p̄æ magnitudine desiderii deficit anima mea, dum cogitat de atris tuis. O quando veniam, ut in eis habitem, & tantâ fruar pulchritudine?

5. Multa scio de te, Domine, sed nescio quid dicam. Quidquid enim dixero, quidquid cogitavero, finitum est; tu autem immensus es, & incomprehensibilis, & magnitudinis tuæ non est finis.

6. Deus infinite, qui es Trinus in personis, sed unus in essentiâ; & ita divinitatem communicas, ut Unitas non laedatur; communica mihi copiosam gratiam, ut sim tecum unus charitate perfecta.

7. Sancte Sanctorum, Deus spirituum, & cunctæ carnis, à cuius conspectu tremit cœlum & terra, omni qua valeo virtute te benedico, quia per Ecclesiam tuæ sanctæ documenta in fide tuâ confirmasti me.

8. Te invoco, Beata Trinitas, ut venias in me, & templum dignum gloriæ tuæ efficias me. Perfice me Deus, qui plasmasti me, usque ad plenam formam imaginis, & similitudinis tuæ, ad quam fecisti me.

9. Deus immensæ, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia facta sunt, custodi me opus manuum tuarum in te sperantem, & in tuâ solummodo misericordia confidentem.

10. Domine, qui dixisti: Non videbit me homo, & vivet, Moriar, ut te videam. Hæc est enim vita æterna, ut te Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, unum, verum, & filium Deum cognoscam, & amem in sæcula saeculorum.

D E

## DECAS X,

1. Pater immensa majestatis, principium absque principio, qui à nullo procedis, gaudeo quod intrà te ipsum Verbum tuum aeternum concipias, Filiumque generes adeo tibi similem, ut sit unum & idem tecum.

2. Pater ecclësis, à quo omnis Paternitas in celo, & in terra nominatur, obsecro te per Filium tuum Unigenitum, in quo tantoper delectaris, ut multos alios gigas filios per gratiam adoptionis, ut Paternitas tua ubique dilatetur, & resplendeat.

3. Pater ingenite, innascibilis, improductibilis, fons Deitatis, ac totius entitatis origo, sanctifica me in veritate, ut qui à te processi, in te perpetuo maneam, nec unquam mens mea à te avertatur.

4. Fili Dei Unigenite, qui aeternā generatione à Patre procedis, ipsi coequalis, & consubstantialis, fac me pro modulo meo hujus similitudinis & aequalitatis aliquā ex parte partipiem.

5. Fili Dei, Deus de Deo, lumen de lumine, sapientia increata, candor lucis aeternæ, fac me filium lucis in hac vita, ut in aeternā lumine gloria illustratus, videam te gloriosum & benedictum in secula.

6. Splendor paterna glorie, & figura substantiae ejus, qui summè dilectus à Patre, ipsumque Patrem summè diligens, simul cum ipso unicā spiratione producis Spiritum Sanctum: emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ut splendoribus tuis illustratus cognoscam te, & diligam, sicut tu diligis Patrem, & eum perfectè cognoscis.

7. Sancte Spiritus, consolator dulcissime, donum Altissimi, & unicō Electorum, da mihi teipsum donum infinitum, ut & ego spiritus sim sicut es tu, omnis terrenæ contagionis expers; & sanctus sicut tu, currens inoffenso pede viam mandatorum tuorum.

8. Spiritus Patris, à quo accipis divinitatem, & omnipotentiam: Spiritus Filii, à quo accipis ejusdem sapientiam: Spiritus utriusque, à quibus accipis infinitum amorem, quo te mutuo amat; illabere menti meæ, & fac concordiam in affectibus meis, ut conjungar tibi in uno spiritu, & totus convertar in spiritum amoris.

9. Sanctissime Spiritus, & amor suavissime,

charitas essentialis, & totius charitatis principium, bonitas aeterna, à qua omnia bona in nos descendunt; inflamma voluntatem meam ferventissimo tui amore, & adstringe me tibi, ac Patri, & Filio; ut nec intellectu, nec affectu à vobis divellar.

10. Sancta & adoranda Trinitas, Deus meus, & omne bonum meum, da teipsum mihi, & suffici mihi. Quid enim ei sufficit, cui tu non suffici?

## CAPUT XVII.

*Vitam Christi esse Fontem omnium bonorum.*

*Quomodo ex ea pī affectus eliciantur.*

Prolixi voluminis opus foret bona omnia commemorare, quae ex vita Christi velut ex fonte uberrimo, & nunquam deficiente scaturiunt, & perenniter fluunt. Ipse enim Salvator noster factus est nobis à Deo sapientia, justitia, redemptio, & sanctificatio. In ipso habemus divitias salutis, thesaurum meritorum, cumulum perfectionis. Sicut Sol asperū suo latificat, influit, illuminat, nec unquam cessat operari: ita verus Sol animalium Iesus Christus iugi influxu infundit in nos, & imprimit mores suos, virtutes suas, suam Divinitatem. Vita ejus consideratio erigit in adversis, in prosperis reprimit, tollit peccata, conciliat gratiam, excitat ad amorem, juvat incipientes, dirigit proficientes, edocet perfectos. Quemadmodum unguentarii semper olent id quod attractant; sic Christianus, qui assidue cum Christo versatur, ejus redolet patientiam, charitatem, humilitatem, ceteraque virtutes, quas vita sua studioso sensim instillat idem Dominus virtutum, cuius doctrina seminarium justitiae, vita speculum prudentiae, & temperantiae, mors exemplum est fortitudinis. Sed quia non sufficit Christi vitam meditari, nisi etiam ex ea pī, & devoti affectus eliciantur; hujus praxim in hoc capitulo breviter indicabo, ut auctorem fidei recipientes, eundem salutis nostræ atque perfectionis consummatorem habeamus.

## DECAS I.

1. Domine Iesu Christe, concede mihi misericordia peccatori vitam & mores tuos prae oculis mentis semper habere, & pro viribus imitari.

V. a. O.